

1522 moliretur omni diligentia exploraret: si in Cyprum impetum facturum esset, nihil quod ad opulentissimum, ac nobilissimum regnum conservandum attineret, prætermitteret; quem sibi videretur triremium numerum ad Tamassum, quam Famagustam vocant, præcipuam insulæ civitatem, ejusque portum custodiendum mitteret; Senatui constitutum esse, si de populi salute, ac maritimis suis rebus agatur, quæcunque desiderari, aut expectari possint, incunctanter, ac fortiter præstaret; sin vero in alias regiones bellorum turbines ciendi forent, in id omni studio intenderet, ne aliquid Venetis detrimentis inferretur. Adjectum, ut quæcunque agenda forent, adhibitis de more in concilium Legatis, decerneret. Nam amplissimam dignitatem, atque auctoritatem, qua major a Republica tribui civibus non solet, majores nostri quibusdam veluti terminis circumscriptam esse voluerunt: quocirca classis Imperatori duos Legatos, qui de gravissimis rebus una consulerent, addidere; quæ a duobus decreta essent, ea mature facta, atque rata fore statuerunt; quæ vero ad navigationis iter dirigendum, crimina coercenda, omnes in officio continendos, ad militaria impigre, & fortiter obeunda munera spectarent, has solius Imperatoris partes esse decrevere; in eodem vitæ, necisque summam potestatem posuere, quam sane nullus, neque domi, neque foris magistratus habet, cum suprema auctoritas, ac majestas apud consilia tantum sit, in quibus absque provocatione decernitur.

Classis Veneta Imperatoris auctoritas.

*Suleimanus Rhodum aggre-
ditur.*

Suleimanus tandem Rhodum, clarissimam totius antiquitatis testimonio insulam, in Carpathio mari sitam, per ducentos, ac quatuordecim annos Hierosolymitanis militibus subjectam, Christianæ Reipublicæ propugnaculum, expugnare decrevit; atque ad vi. kal. julias cum classe trecentarum navium Rhodum appulit; in eaque oppugnanda omnes industriæ, ac laboris nervos intendit, ut, vel diuturnitate temporis, vel operum magnitudine, vel maritimarum, & terrestrium copiarum numero insulam subigeret. Nam exposita magna militum, & agrestium hominum multitudine, illi primum colle eminentiori occupato, bellicis tormentis in urbem ejaculari; hi vero vineas ducere, exstruere aggeres, vallo, & fossa circumdare, subterraneis laboribus die, noctuque exerceri, quibus excisæ

rupes